









94 A 7342

AK



\$



DE
REFLEXIONE LVCIS
EIVSQUE
REFRACTIONE
PAVCA DISSERIT

ATQVE AD
SOLEMNIA MAGISTRORVM PHILOSOPHIAE
ET LIBERALIVM ARTIVM

DIE XX. SEPTEMBER A. MDCCCLXXXII.

CREANDORVM INAVGVRANDORVMQVE IN COLLEGIO MAIORE
CONCELEBRANDA

INVITAT
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE
EX DECANVS

M. JOSEPHVS HAMILTON

O. S. B. IN IMMEDIATA AC PONTIFICA ABBATIA AD S. IACOBVM SCOT-
RVM RATISBONAE CAPITVLARIS, PHILOSOPHIAE PROFESS. PVBL. FACVLT.
PHILOSOPHICAE ASSESSOR ORDIN. ET ELECTORALIS ACADEMIAE,
QVAE ERFVRTI EST, SCIENTIAR. VTL. SOCIVS.

ERFVRTI, LITTERIS I. C. GOERLING, ACAD. TYPOGR.

Lippe



REFLEXIONE LACIS

VIASONI

EXPOSITIONE

LACV DIBRIT

COLLECTA EXPOSITIONE HISTORIAN

ET DISCUSSIONE ARTIVM

DIC XX SEPTEMBER A MDCCLXVII

CRTA DOLCI INAGATISQVMALI M COTTIO M GOC

SOMNIPHERA EAD

INNIV

COLLECTA EXPOSITIONE


IMAGO RUM

M. IOSEPHUS PAMMACH

STOZ QD AIAA AIAFUTIA AIAA AIAKQHIA ZI E. S. O
AIAA AIAA AIAFUTIA AIAA AIAKQHIA ZI E. S. O
AIAA AIAA AIAFUTIA AIAA AIAKQHIA ZI E. S. O
AIAA AIAA AIAFUTIA AIAA AIAKQHIA ZI E. S. O
AIAA AIAA AIAFUTIA AIAA AIAKQHIA ZI E. S. O

COLLECTA EXPOSITIONE I. C. GÖTTINGE VAD. T. 1.





Cum Lux et Ignis communes quasdam et affines habeant proprietates, primo saltem intuitu horum corporum non diuersas esse materias in cultiori etiam Physica iudicabitur. Omnes tum veterum, tum recentiorum Philosophorum de natura Lucis sententiae licet plurimum inter se dissidentes ad duo veluti capita possunt referri. Alii nimurum existimant Lucem esse qualitatem aliquam vel accidens, quod lucido corpori modo coniungatur, aliorumque accidentium instar inhaereat, modo ab illis separetur. Alii vero arbitrantur, Lucis naturam in tenuissima quadam substantia corpo-

rea esse positam, quae celerrime agitata corpora perlustret, oculum subeat, nerueasque fibrillas percellens sensum quendam in illis imprimat. Prima Philosophorum opinio facile est refellenda. Etenim si Lux sit accidens, intelligi certe non potest, cur ipsa aliquorum duntaxat substantias peruidat, cur quaedam corpora sint opaca, alia vero pellucida. Quod vero aliorum attinet Philosophorum sententiam, iuris rursus Lucis phaenomena diuersimode explicare conantur, quamuis solum Clarissimi NEWTONI Emanationis Systema, reiecta Celebrissimi EVLERI Vibrationis Theoria, ad intelligentia Luminis experimenta satis apte sufficiat. Dum de Ignis natura eiusque proprietatibus apud quosdam Physicos sermo est, fluidum igneum eandem esse cum Lucis materia substantiam existimant; hi etenim aiunt, fluidum hocce per omnia diuersimode dispersum esse corpora, in quibusdam facilius, quam in aliis excitari, et, ut in iis Ignis sensatio oriatur, motum aliquem, ut vero Lux proferatur, motum partium *vehementissimum* requiri. Alii autem chemicis praeципue muniti experimentis Lucis materiam ab Igne differre opinantur, eoquod idem corpus soli nunc calori, nunc autem calori cum Luce coniuncto expositum, diuersos producat effectus, et quod influxus, quem sola Lux in tria Naturae Regna habet, ab eo, quem Lux cum calore coniuncta exerit, quam maxime differat. Grauissimam hanc quaestionem ulterius nunc discutere, nec tempus, nec praesentis huius scriptiunculae finis permittit, quapropter ad id, quod diuersis interruptus negotiis in publicis meis praelectionibus prae-



praestare non potui; ostendendum progredior: *Reflexionem Lucis in minimis a contactu distantiis fieri, Refractionem vero vi attractivae tribuendam esse, vix in dubium vocari potest, est id, quod breuiter demonstrandum mihi proposui.*

Reflexio Luminis habetur, quum illud ex uno medio in aliud dissimile impingens, ad anterius medium regredi cogitur. *Refractio* autem, cum ex uno medio in aliud dissimile oblique incidens directionem suam mutat, quin tamen ad anterius medium regrediatur. Praemissis hisce *Reflexionis*, *Refractionisque* definitionibus veritas primae partis asserti mei sic enodatur. Ex *Metaphysics* *Principiis* certum est, nulla *vnquam collisa corpora* ad attactum mutuum mathematicum posse deuenire, deinde experientia satis compertum est, *Lumen* *tanta reflecti copia*, dum de *vitro* transit in *aerem*, ac dum ex *aere* transit in *vitrum*; deinde eandem longe minore copia reflecti, quum ex *vitro* in *aquam* transit, ac dum ex *vitro* defertur in *aerem*: quodsi ergo eius *Reflexio* ab ipsa *solida corporum superficie* fieret, dicendum esset imprimis, *radium Luminis* in *totidem solidas* incurrire partes, dum de *vitro* transit in *aerem*, in quo incurrit, dum ex *aere* in *vitrum* incidit; deinde eundem difficultius impingere in *solidas* partes, dum ex *vitro* in *aquam* transit, ac dum ex *vitro* defertur in *aerem*, quod omnino vero simile non est. Porro si *Lux transiens* ex *vitro* in *aerem* incidat sub inclinatione maiore, quam 40, vel 41 Graduum, teste experientia tota reflectitur, si vero inclinatio fuerit minor, magna ex parte

transmittitur. Qua igitur verisimilitudine dici potest, fere omnes Luminis radios impingere in solidas aeris particulas, qui Luci transitum praebeant, si ii circiter sub angulo 40 Graduum in hunc incurvant? ex aduerso magnam corundem partem in apertos meatus, per quos libere transeant, incurrere, si minore sub obliquitate fiat incurso? Tandem si Lucis radii a solidis corporum partibus reflectantur, certis legibus fieri nequaquam potest illorum e superficiebus etiam eximie laeugatis Reflexio. Etenim quantumuis perpolita atque tera sit corporum superficies, plurimis tamen eminet asperitatibus, quae si cum subtilissimis radiis solaribus conferantur, ingenitum instar montium haberi debent. Itaque si radii Lucis a solidis corporum partibus repellantur, incerta omnino lege reflecti atque dispergi deberent ob variam superficerum asperitatem, quod contrarium est experimentis. Hanc veritatem, corporum particulas in Lucis radios ad minimam distantiam agere, experimento primus omnium demonstrauit Grimaldus, et accuratius dein confirmauit Newtonus. Lumen per angustissimum foramen in tenebrosum intromittatur cubiculum, et Lucis radio obiiciatur tenuissimum corpus, quod ipsam radii latitudinem non excedat, umbra corporis radio immersi ad notabilem distantiam proicitur latior, quam vti que esse deberet, si radius Lucis prope corporis obiecti extremitates linea recta transiret, quae certe dilatatio deprehendi minime posset, si radii prope corporum superficies nullam paterentur repulsionem, sed in lineis rectis propagari pergerent. Manifestum itaque est, repulsionem aliquam ferre

ferre radios a solidi atque opaci corporis superficie, iuxta
 quam incedunt. Iam altera pars assertionis nostrae breuiter
 exponetur. *Lucis nempe Refractio vi attractiuae medii est tri-*
buenda. Haec certe veritas nulla alia validiore ratione euinci
 potest, quam si Refractionis phaenomena secundum Claris-
 simi Newtoni doctrinam explicemus, quod ne praescriptae
 breuitatis limites transeamus, sic efficitur. *Si Lucis radius*
ex medio rariore in densius, vel ex densiore in rarius oblique
incidat, directionem suam mutabit: si vero perpendiculariter
incidat, id est si angulus incidentiae fuerit rectus, directionem
suam non variabit. Res a Physicis sic demonstrari solet. Ra-
 dius *Lucis c* ex sole vel aliquo alio corpore lucido proueniens
 vel in vacuo, vel in eodem semper medio incedens secundum
 communes Physics leges directionem suam mutare nequit.
 Nam in vacuo nulla, quae in radios agat, vis adesse potest, et
 si medium, per quod radii transeunt, semper idem fuerit,
 nouae vires nullae erunt, hinc nullus nouis effectus, ac pro-
 inde eadem semper radiorum *Lucis directio.* Quamprimum
 vero radius in *d* erit, id est, in superficiem medii densioris
 v. g. vitri vel aquae inciderit, nouis agitatur viribus, quae
 radii incidentis particulas quasdam tum reflectunt, tum trans-
 gredi permittunt. Nunc autem noui medii vires fortius in ea
Lucis radiorum latera agunt, quae versus angulum acutum
~~cdb~~ posita sunt, quam in illa latera, quae angulo obtuso *adc*
 opponuntur, quia maior radiorum superficies ad angulum
 acutum versa fortiori vi attrahitur, ac propterea *Lucis radii*
~~a~~ vitri vel aquae superficie ad angulum acutum collocati in-
 signi-

signius attrahantur necesse est. Hinc nouia directionis orientur determinatio, et quidem eo notabilior a priore directione erit declinatio, quo acutior erit angulus cdb , quod perpetuis constat experimentis. Ergo radius c sine vlla directionis suae variatione progreditur vsque ad d , tunc autem aliis medii densioris accedentibus viribus frangitur et versus lineam perpendiculararem sl , non in via de , sed in directione df tamdiu incedet, quamdiu in vitro vel aqua mouetur. Sic quoque si Lucis radius f ex aqua, medio densiore, secundum directionem fdr redierit, vsque ad d easdem continuo in eodem medio persentiscens vires sine vlla viae suae variatione perueniet; quamprimum deinde in d externa aquae superficie venerit, nouae et quidem debiliores aeris vires in ipsum agunt: et cum angulus rdb acutus sit, Lucis particulae maiore copia versus vitrum aut aquam sese inclinabunt, ac proinde fortior ex parte erit attractio, et radius versus superficiem db , in quo angulus acutus collocatur, a priore sua directione dr attrahetur, aliamque directionem v. g. dc obtinebit, quae eo magis a perpendiculari sl aberrabit, quo acutior fuerit angulus rdb , hinc demum f ex punto d proiicitur in c . Si tandem angulus incidentiae fuerit rectus, radius sine vlla prorsus directionis suae variatione incedet, quia in directione hac perpendiculari Lucis particulae aequales ex utraque parte sui corporis superficies nouis hisce mediis, aquae, vel vitro, in quae incident, semper opponunt; ideo in neutram medii partem inclinant, ac consequenter suam non possunt variare directionem.

Haec



Haec est praeclarissima Celeberrimi NEWTONI de Luminis Refractione doctrina, in qua mira facilitate difficilima alia Lucis phaenomena ita feliciter explicantur, ut aliam quamlibet hypothesim respuere iustum omnino videatur. Ex his igitur breuiter dictis haud incongrue concludere licet: *Reflexio Lucis in minimis a contactu distantiis fit, Refractio vero vi attractiuae medii est attribuenda.* De grauissimo, vtilissimoque hoc luminis argumento plura hic disserere temporis angustia non permittit. Nunc enim publica indicenda sunt Solemnia Magistrorum Philosophiae et bonarum artium creandorum, inaugurariorumque. Postquam enim nonnulli viri Iuuenes ornatissimi summos in Philosophia honores modeste ab Ordine nostro petierint; non potuimus non in eorum profectus inquirere, quos tales tam in examinibus, quam in publica defensione inuenimus, qui in litteris humanioribus, pariter ac Philosophiae studio ita egregie profecerunt, vt vnanimi Patrum Ordinis nostri voce dignissimi iudicati fuerint, qui Philosophiae ac liberalium artium Magistri, siue Doctores, more Maiorum publice renuncientur. Sunt autem istorum haec Nomina:

- 1) Guilielmus Stieghan, Magdeburgensis.
- 2) Iacobus Guilielmus Becker, Erfordiensis.
- 3) Iohannes Carolus Roensch, ex Messersdorf in Lusatia superiore.
- 4) Ioannes Christophorus Reinecke, Halberstadiensis.
- 5) Gotthelf Guilielmus Hoffmann, Arnstadiensis.

B

Qui



Qui suae vitae curricula sequente tenore nobis communicaerunt.

Ego Guilielmus Stieghan natus sum Magdeburgi anno 1756 patre Ioanne Henrico, Senatus Magdeburgensis Praesule, qui impensissime curauit, ut in Gymnasio Senatorio, quod Magdeburgi floret, ad artes, quae humanitatis nomine feruntur, quibusque ad academica studia tenuior aetas praeparari solet, recte imbuuerer, auctoribus potissimum ac ducibus Lorenzio et Ferbero, qui duumiri tam curate ac fideliter rem tractarunt, ut quantum illis debeam, verbis exprimere non possim. Anno 1776 Academiae Halensis ciuibus adscriptus, Theologicis studiis, vtpote quae victum essent praebiturae, ex more nomen, philosophicis autem et philologicis mentem dedi, ita vt per biennium haec quasi haeram agerent, illae ancillarentur. Et licet Halae tum temporis illae artes, quae ad humanitatem pertinent, negligi quodammodo viderentur, Thunmanni tamen, Knappii ac Niemeyeri preelectionibus ita apud me earundem amor creuit, ut ex eo inde tempore staret, in Georgiam Augustam, in qua summi Heynii curis illae artes felici cum successu coluntur, transuolare. Contigit hoc mihi anno 1778 idque bonis auibus. Nam Thunmanni mei commendatione factum est, vt ab illustrissimo Heynio statim humanissime exceptus amore vere paterno donarer tamque multis beneficiis per totam vitam posthaec actam cumularer, ut eorum, quoad vixero, grata stabit recordatio. Cum Heynii lectionibus per anni spatium praeparatus, tum priuatim philo-

philologica docendo exercitatus anno 1779 Seminarii philologici Sodalitio adscriptus sum. Iam per totum quinquenium instructissima bibliotheca Academica, fidisque Heynii consiliis adiutus, quaecunque pulra et paeclarata habet antiquitas, vtpote quae diu sitieram, haustibus uidissimis imbibiti, sic ut praeter hoc nullum vitae tempus possim praedicare iucundius aut felicius. Sed quanto intensior in haec studia mens, tanto suauior interdum ad alias disciplinas erat deflectio; sic ut lectionibus Venerab. Lessii dogmaticis, Federi et Meinersii philosophicis, Schloezeri historicis magno cum fructu interfuisse, non diffitear. Anno 1782 speciminis loco ad Vollborthii bibliothecam philol. symbolam dedi, suasore potissimum Heynio, qui et sequenti anno indices ad suam Apolodori editionem mihi dedit conficiendos.

Eodem anno 1783 cum Fleischmannus, qui bibliothecae Academicae a litteris erat, hoc munere se abdicasset, in huius locum suffectus per triennium antecessoris labores, tres nimirum Catalogos, Accesionum, quos vocant, Alphabeticum et Registraturam pro virili parte religiosissime continuaui, sic ut nec communi bibliothecae negotio ulli deesse. Anno 1784 lectiones publicas habendi easdemque e valuis publicis indicandi venia ab Illustrissima Facultate philosophica bene uole donatus subsecuum tempus, etsi maximam diei partem bibliothecarii labores absumerent, et relictas horulas lectionibus lubens impendi, quibus habendis vere me requieuisse animumque refecisse confiteor. Sic Herodotum, Theocritum, Liuium, Tacitum interpretatus sum, ad Encyclopaedicam



disciplinarum notitiam item ad styli bene latini exercitacionem in Collegio practico institui; Pactorum, ac foederum antiqui orbis notatu dignissimorum historiam enarraui; vt priuatissimas lectiones iam praetermittam. Anno 1785 Professoris munere ornatus Diezio Moguntiam vocato, in tertii Bibliothecae Custodis gradum promotus sum, additique tum liberaliter duo Collegae noui, sic vt quos labores ante trium humeri aegre sustinuerant, iidem iam per quinque viros distributi felicius peragerentur: erantque tum exoptata illa Collegii nostri tempora, quorum quidem fructum percipere Collegerat licebat, me autem miserum haec spes frustrata est! Ita enim in dies augebantur Colicae haemorrhoidalis, qua per aliquot annos laboraueram, tormenta, vt medici fidelissimi ac peritissimi de me sanando desperarent. Sic meis doloribus relictum, omni hominum auxilio et solatio destitutum, vitae miserrimae pertaesum me inuenit frater dilectissimus, qui tum studiorum caussa Erfordiae commorabatur, ibidemque post paullo mortuus est: meque, vt reparandae valetudinis caussu secum Erfordiam proficiscerer, inuitat.

Obtempero lubens, et quidem forte fortuna! Vix enim triduo hic commoratus, dolore primum omni, et haud multo post morbo liberatus sum. Quare statim redditum parans Goettingam venio nouis instructus viribus ad studia et intermissos tam diu labores laetus me reuoco. Sed liuidis oculis hoc meum gaudium adsperxit nescio quis malus Genius. Paucos enim post menses longa quasi quiete refecti nouis viribus veteres me illi cruciatus inuaserunt, sic vt eorum imper-
tum

tum vltterius non ferens Georgiae Augustae vltimum Vale dicere constituerem. Exii Anno 1786 non sine summo animi dolore ac moerore, relicto satis largo salario, honoribus, amicis, fautoribus, bonaque et commoda innumera, quae nec praesens mihi nec futurum vitae tempus praebebit. Erfordiam venienti mihi nihil magis curae fuit, quam vt valetudinem recuperarem, quod adiuuante Deo contigit hoc quadrennio, quod maximam partem ruri exegi, non tamen sine Musarum consortio, ad quarum cultum me nouis viribus instructus iam accingo.

Dabam Erfordiae ipsis Calendis Septembribus Anno
1792.

Ortus sum ego Iacobus Guilielmus Becker Erfordiae Calendis Ianuarii an. clolo CCLXVII, patre Io. Henr. Becker, qui opificio vacat, atque matre Traugotta Sophia paterno nomine Hatlspurg dicta, parentibus optimis honestisque, qui, quod grata mente agnosco, id praecipue egerunt, vt primas tenello iamiam animo meo virtutis lineas iusculperent. Ambos adhuc viuos eo, quo filium decet, amore pie prosequor. Duabus in scholis publicis, praedicantium primo, deinde mercatorum, vbi Christianismi et latinae graecaeque linguae elementa tradebantur, prima mea posui rudimenta. Hinc decimum tertium vitae annum vix egressus Gymnasium Senatorium Aug. Conf., quod hic Erfordiae est, frequentauit. Per qua-

B 3

tuor

tuor ibi et dimidium annum longe meritissimorum Directo-
 ris et Professorum institutionibus vsus in literis ita profeci,
 vt anno LXXXIII. ad Academiam in patria vrbe accedere
 potuerim. Adscriptus a Rectore magn. Schorch studioso-
 rum numero celeberrimorum Professorum adii paelectiones
 eas potissimum, quae a scopo meo, ecclesiastico nimirum
 munere rite aliquando fungendi, haud abhorrebant. Philo-
 sophicum campum Celeb. Lossio duce percurri; Matheseos
 purae omnes, et applicatae plurimas partes me edocuit Illust.
 Reinhard; in nonnullis linguis Vir Magn. Sinnhold et Cel.
 Frank paeceptores habui; Rev. P. Hamilton philosophiam
 theoretico experimentalem mihi tradidit; et scientiam bota-
 nicam systematisque sexualis Ieges ex institutionibus praema-
 tura morte nobis erepti Planeri percepi. Theologicas scien-
 tias in scholis Virorum summe Vener. Lossii, beati Schellen-
 berger, Bellermann, Soemmering, nec non Sorber, haus.
 Erga omnes hosce paeceptores meos pie colendos; qui sua-
 vibus suis atque necessariis scientiis animum meum excolue-
 runt, summas foueo gratias; illorum in me merita altius
 animo sunt inscripta, quam quae longissima annorum series
 delere valeat. Haec inter studia mea, anno LXXXVII, Re-
 ver. Ministerii Euang. Senior magn. Besler, colloquio antea
 de rebus theologicis mecum instituto, candidatorum albis
 me inseruit; annoque LXXXX electus sum Scholae S. Iohan-
 nis Euang. collega. Haec vitae meae gesta hoc loco referen-
 da censui; caetera domestica fata, per quae vita tristis inter-
 dum decurrit, sileo. Iam vero paucis abhinc diebus, Fauto-
 ribus

ribus nonnullis et amicis suadentibus, Amplissimum Philosophorum Ordinem adii ab illo humillime petens, ut praeuiio examine in instantibus festis saecularibus, quae quarto celebratura est antiqua musarum sedes Erfordiensis, sumnum in Philosophia gradum benignissime mihi tribuat.

Dabam Erfordiae die VII. Sept. c:lo CCLXXXII.

Iohannes Carolus Gotthelf Roensch, Pastor Wernburgensis in Dioecesi Neostadiensi ad Orilam, natus sum Messersdorffii in Lusatia superiori, anno quidem aetatis huius XLIV. Patrem iam ante hos XIV. annos humanis rebus exemtum, habui Eliam Roenschium, qui tunc in schola Messersdorffensi Collega secundus erat et simul vices Cantoris curabat. Matrem adhuc superstitem colo Annam Rosinam, natam Bergriam. Primus praeceptor mihi fuit pater ipse, a quo religionis praecepta et elementa litterarum didici. Quindecim annos natus in Gymnasium, quod floret Gorlicii missus sum. Hic me Baumeisterus, Geislerus, Grosserus, optimi praeceptores, tanta alacritate instituerunt et fide, ut libenter fatear, me iis praeter litterarum amorem multa alia amoris et benevolentiae documenta debere. Ita ad vitam academicam praeparatus anno MDCCLXIV, pace terris nostris redditam, veni Lipsiam, Boehmio Rectore, cuius academie illius adscriptus. Per quinque annos in hac studiorum vniuersitate moratus sum et ibi praeceptorem habui praesertim Crusium, a quo

quo philosophiam omnem percepi, etiam illa, quae ad theologia theticam, moralem, hermeneuticam, propheticam et homileticam pertinent. Audiui etiam Ernestium, euangelium secundum Iohannem et epistolam Pauli ad Hebraeos explicantem. Auditor fui Scharfii in explicatione librorum symbolicorum, et Bahrdtii in theologia polemica, et Bur-scheri in historia sacrorum. Dathius mihi cum aliis explicavit quosdam veteris foederis libros. Interfui etiam Stemleri homileticis exercitationibus et Hebenstreitii examinatoriis et disputatoriis. His doctoribus omnibus plurimum me obstricatum fateor iterumque spondeo, gratam omni tempore memoria me beneficiis acceptis adhibiturum. Sic academicae vitae curriculo exacto in patriam rediundi mihi mens erat, sed prouidentia diuina longe aliter cogitabat. Anno MDCCCLXIX. gratia Illustrissimi Einsiedelii Comitis vocacionem sacra curandi in parochia Knau, Lascau et Bahren, quae parochia ad inspectionem Neostadiensem ad Orilam pertinet, assecutus sum, vbi per XVI. annos officiis pastoralibus functus sum. Anno MDCCCLXXXV. Generosissimus Dominus ab Erfa mihi munus pastoris in hoc vico Wernburgi cum filia Bodelwitz tradidit, vbi nunc vivo et Deum in vitae curriculo meae omnia sic bene fecisse toto pectore gratoque animo laetor. Scripsi Wernburgi, die VIII. Septembris MDCCXCII.

Ioan-



Ioannes Christophorus Matthias Reinecke Halbersta-
diensis. Natus Halberstadii, anno saeculi huius LXX, patre
Paulo ciue honesto, matre Sophia ex gente Fiedleriana.
Orbum parente carissimo puerum quinquennem magna cura
educauit me mater, quam adhuc superstitem colo, atque
iam a primis pueritiae annis, ingenuis instituendum artibus
curauit sedulo. In illustri schola cathedrali Hemipolensi
primum auspiciis Viri celeb. beati Struensee pueritiae pro-
cursum cepi, mox praceptoribus vsus sum beato Ebeling,
Bastian, Gran, et in primis, quorum semper memoriam pie
recolam, Viris illustr. Fischer, Nachtigal nec non Villaume.
Inde, litterarum initiosis bene imbutus, anno LXXXVIII in
almam Fridericianam, quae Halae floret, discedens, scholas
frequentauit celeb. Eberhard et Iacob philosophicas, clar.
Wolf philologicas, reu. denique Semmler, Nösselt, Knapp
et Niemeyer theologicas. Tandem ad hanc Musarum sedem
anno LXC accedens, Magistri Philosophiae petiturus gra-
dum, Rectore Viro illust. Rumpel in album Academiae in-
scriptus sum; at interuenientibus rebus domesticis, priuatae
per aliquod tempus vitam dicaui Musae, id studens, ut nunc
tandem eo dignior ad honores in Philosophia summos acce-
derem.

C

Gott-

Gotthelf Guilielmus Hoffmann natus Reinsfeldae, pagi Arnstadiensis anno h. sec. LV. die XVIII. Dec. Pater mihi erat Henricus Guilielm. verbi diuini minister. Mater Magdalena e stirpe Langiana, adhuc viua. Parentes isti carissimi educationis meae rationem, eamque accuratissimam semper habuerunt. Liberos suos diligebant. Pater ipse in litteris, ad annum vsque aetatis decimum liberali modo me instruxit. Sed mors crudelis mihi patrem carissimum mox rapuit. In magno fui timore. Deus vero prouidebat. Oppidum mater dilectissima petebat. In Lyceum, cui D. Lindner vir doctus probusque preeest, recipiebar. In hoc instituto per nouem fere annos versatus sum. Humanitatis, artiumque libera- lium studio ibi maxime incubui. Praeceptores, quos, qua par est reuerentia, veneror, vitae comites erant. In me longe meritissimi. Momenta ibi peracta, iucundissima sunt. Tandem ex amicorum quorundam consilio in Georgiam Augustam anno LXXV migraui. In hac alma vrbe trium annorum spatium peregi. Theologiae, aliisque scientiis, praesertim litteris orientalibus operam loçau. Has tum maxime in deliciis habui. Cursus academici tempore finito, iter in regionem Megapolitanam feci. Homo quidam nobilis mihi puerorum suorum curam, et institutionem demandauit. Huic negotio per quatuor annos praefui. Magnum inde cepi gaudium. Per varios casus, per tot discrimina rerum Erfordiam tandem tetendi. Deus Optimus Maximus consiliis, conatibusque meis semper annuebat, ita vt me spes raro fal- leret.

leret. Numero Candidatorum R. M. mox a D. Seniore Beslero defuncto adscriptus sum. In Latio hoc multos inveni fautores, amicosque, qui re probant, non qui speciem prae se ferunt. Ex his vnum nomino. Est Rector Magnificus D. Sinnhold, P. P. O. Vir et doctrina, et probitate insignis. Plura dicere reuerentia, quam eius modestiae debeo, prohibet. Hoc vnum tantummodo, prodest, quibus potest. Anno XC Senatus A. C. Amplissimus mihi munus rectoris ad scholam Thomanam bene contulit. Nulla temporis vetustas, benevolentiae istius memoriam ex animo delebit. Paulo post a coetu Thomano Diaconus eligebar. Multa et etiam hic amicitiae amorisque specimina expertus sum. Cum Poeta Illustrissimo Nostro ergo reuera canere possum: Bene habitamus Erfordiae.

His igitur, quos legitime tentatos, et praemissa disputatione publica ornatissimos deprehendimus, et omnino tales, quibus collatio dignitatis magisterialis debeatur, renuncian-
dis in solenni et publica Panegyri dies est dictus de sententia
Ordinis nostri XX. Septembr., quem diem ut Rector Acad-
miae Magnificus, caeterique utriusque Reipublicae Proceres
summe venerandi praesentia sua reddere velint splendidio-
rem,



rem, humanissime et nostri, et Ordinis nostri nomine rogamus. Singularem etiam hunc honorem et Ordo noster, et Candidati gratissima semper mente agnoscent.

Publ. in Vniuersitate Litterarum Erfordiensi sub Sigillo
incl. Facult. Philosophicae Die XII. Septembr. 1792.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-194875903-10

DFG







94 A 7342





DE
REFLEXIONE LVCIS
EIVSQVE
REFRACTIONE

PATR. J. C. F. DE

SOLEMNIA MAGISTRA

ET LIB

DIE XX. SEP

CREANDORVM IN AVGV

CO

FACVLTA

E

M. JOSEPH

O. S. B. IN IMMEDIATA AC
RVM RATISBONAE CAPITVL
PHILOSOPHICAE. ASSESS
QVAE ERFVRT

ERFVRTI, LIT

